



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

§. 2. De virtutibus ad quarum exercitium Sacerdos debet excitare & iuuare moribundum. Ac primùm de resignatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

amore Christi, qui passus est pro nobis, reli-
quens nobis exemplum, vt sequamur vestigia
eius, 1. Pet. 2. Ad quod iuuabit mentis oculis in-
tueri Christum ipsum cruce onustum, prope-
rantem ad mortis supplicium valdè crudele; &
ponderare quod ab eo dictum est Matt. 10. Non
est discipulus super magistrum, nec seruus super
dominum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister
eius, & seruo sicut dominus eius.

Sexta ratio est, quòd sacræ paginæ de tribula-
tionibus mentionem faciant, vt de bonis in ma-
gno pretio habendis. Act. 14. *Per multas tribu-
lationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*
In posteriori ad Cor. c. 4. *Quod in presenti seculo
momentaneum est tribulationis nostræ, supra mo-
dum in sublimitate æternæ gloriæ pondus opera-
tur in nobis.* Ad Rom. 8. *Non sunt condigna pas-
siones huius temporis ad futuram gloriam, qua re-
uelabitur in nobis.* Et ad Hebr. 12. *Quem diligit
Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, què
recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs
offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non
corripit pater?* Addi potest pœnas vitæ futuræ
esse grauissimas, & sine merito: redimi autem
per tribulationes vitæ præsentis longè leuio-
res, & meritorias ex magna Dei erga nos mise-
ricordia.

§. 2. *De virtutibus ad quarum exercitium Sa-
cerdos debet excitare & iuuare moribundum,
Ac primùm de resignatione.*

Sunt aliquot virtutes, quarum exercitium ad
iustificationem peccatoris conducit, in quo cõ-
sultum

Optimum est moribundum vacare; cum ex Eccle-
 siast. c. 9. nesciat homo, vtrum amore, an odio
 dignus sit: & quia aduersus illud Dæmon soleat
 suas tentationes adornare. Illæ autem virtutes
 sunt: Resignatio in Dei voluntate, pœnitentia,
 fides, spes, charitas & oratio. Exercendæ verò sunt
 sicut notauit P. Ludou. Pontanus *de perfect. Re-*
lig. tract. s. c. vlt.) per actus obedientiæ, & pa-
 tientiæ: per oblationes, & desideria; per peti-
 tiones, & gratiarum actiones. Iam tale exerci-
 tium Sacerdos exequetur nomine infirmi, ver-
 ba ipsius, si non possit linguâ, saltem mente se-
 quentis.

Quod attinet ad resignationem in volunta-
 tem Dei, ea per modum obedientiæ & patien-
 tiæ sic exercetur: Siue viuendum sit, siue mori-
 endum, *Paratum cor meum Deus, paratum cor*
meum. Non mea, sed tua voluntas fiat. Per mo-
 dum desiderij, & petitionis, sic; *Vtinam dirigan-*
tur via mea ad custodiendas iustificationes tuas,
 vt à me fiat voluntas tua in terra, sicut à sanctis
 Angelis fit in cœlo. Peto, Domine Iesv, per
 tuam sublimem resignationem in voluntate Pa-
 tris, vt mihi contingat sic pendere à tua volun-
 tate, vt verè dicam cum Apostolo: *Mihi viuere*
Christus est. & mori lucrum. Per modum oblatio-
 nis sic: Pater æterne, Filij tui sacratissimam pas-
 sionem tibi offero, vt digneris mihi largiri do-
 num patientiæ in hac mea tribulatione. Per mo-
 dum actionis gratiarum: Benedico te Deus me-
 us, ac gratias ago pro doloribus, quos sentio, cū
 valeant ad promerendam salutem æternam, to-
 lerari patienter amore tui.